ORATIO R. EPISCOPI LANDAVENSIS. HABITA IN CONSESSU ORDINUM GENERALIUM...

Georgius : Landavensis, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Illuſtriſsimi, Prępotentes Domini Excêllentiſs^{me}. Princeps.

DOminus noſter & Rex IESVS CHRISTVS ad patrem abiturus, cum bonum aliquod eximium (quo magis nullum in terris inveniri poteſt) ſuis quos charos habuit, relinquere ſtatueret. Pacem reliquit, pacem moriturus legavit. pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Nihil enim majus vel de cœlo homines optare, vel de cœlis angeli hominibus annunciare potuerũt, quam in cœlis gloriam, in terris pacem. Hoc vinculum quo cœli terris, terræ cœlis uniuntur, animum Sereniſs^{me}. Regis Magnæ Britanniæ ita cœlitus devinxit, ut pro eximia ſollicitudine, qua tenetur ad Religionis ſinceræ vindicationem & propugnationem ad Chriſtianorum Principum per orbem terrarum pacem & concordiam maxime verô Illuſtriſs^{mi}. Domini viri nobiles Magnifici, ad veſtræ Reipublicę tranquillitatem procurandam, cum qua ut ãtiquioris, ita arctioris fœderis vinculo regnum ſuum cohærere intelligit. Huc nos cum mandato miſerit, ut veſtro bono, Eccleſiæ veſtræ paci quantumq́ue poſſumus, quantumque in nobis eſt, invigilemus. Animum verô Regiũ tranquillitatis & boni publici deſiderium occupavit, cum Sereniſs^{mus}. Rex curam Religionis veſtris Dominationibus commendaret. Non ingratum optimi Regis ſtudiũ

videbitur, ſi religionis reformatæ beneficia Dominationes veſtrę, pro prudentia & pietate veſtra cogitent, & cœleſtis favoris benedictiones, quæ de cœlo velut imbres immiſſa, Provincias veſtras irrigarunt. Quid enim aut quantum veræ religioni debeant veſtrę Dominationes facile intelligunt. Pietas veſtra Res veſtras ex turbulento & ſanguinolento ſtatu ad florentes pacis & tranquillitatis fortunas religio revocavit, Religio bonum veſtrum peperit, auxit, firmavit. Expendant Illuſt^{mæ}. Domina^{es}. veſtræ, quid Chriſto pro omnibus beneficiis rependatis. Rogat Domina^{es}. veſtras Chriſtus Rex Regum, Dominus dominantium, pro omnibus beneficiis ſuis, pacem quam reliquit ille colatis. Publici boni vinculum eſt, Religio, religionis vinculum Pax. Quid ergo aliud agunt, qui diſſentiones in veſtris Eccleſiis, vel diſſeminant, vel ab aliis diſſeminatas fovēt, quam ut Pax & Religio tollatur, ut Chriſtus exulet, ut diſsidus Eccleſiaſticorum Eccleſiæ ædificatio impediatur, popularium conſcientiæ turbentur, animi dubij atque hærentes quo vis doctrinæ vento circumagantur, ut contemptus Sacri Ordinis, doctrinæ ſacræ contemptum ſubinferat ſecum, donec tandem hæc ova aſpidum erumpant in Baſiliſcum, in apertam impietatem, in Atheiſmum. Eccleſiæ malæ adminiſtratæ a populo, ab ordine, etiam a veſtris Dominationibus rationē expoſcit Chriſtus. In plebe obedientiam, in Eccleſiaſticis lucem & veritatem, ſcientiam ſcilicet cum ſanctimoniâ conjunctam requirit, vitio ſeculi dixero, neſcio an

arti-

artibus Satanæ factum, in fine ſæculorum majorem prodentis aſtutiam, quod quidam vel penitus rejecta vel nimium neglecta vitæ ſanctimoniâ, quo maxime indumento Sacerdotes Dei induũtur ad rixoſas diſputationes & inutiles, imô & pernicioſas contentiones ſeſe ingerant. Hinc fervor, æmulatio & ingeniorum venditatio. Eccleſiæ interea ædificatio impedita jacet, imo Eccleſiæ ruina per cuniculos clam ſtruitur ab iis qui veſtro bono inſidiãtur. Vigilate viri nobiles Magnifici, pacem date Eccleſię quam dediſtis Reipublicæ. Imô verô jam eſt illud omnibus, omnium Eccleſiarum fauſtis acclamationibus excipiendum omnium ore ad ſempiternam nominis veſtri gloriam celebrandam, quod per Excellentiſs[mi]. Principis virtutem & vigilantiam, ſumma pace, ſine tumultu, non ſine preſenti Divini numinis dextra Dominationes veſtræ nuper effecerunt, jam tandem confecerunt, Eccleſiæ per Europam reformatæ acerbo Rom. Pontif[cis]. jugo excuſſo a Tyrannide liberatæ, ut Chriſto Redemptori uberiores gratias agerent, confeſsiones ediderunt tantâ animorum conſenſione inter ſe cohęrentes, ut in diverſis nationibus in diverſis linguis unum in Eccleſia ſpiritum loquentem facile monſtrent. Inter cęteras nationes veſtrũ conſenſum Eccleſia Chriſti agnovit. Veſtra laus in Evangelio, veſtra laus in Eccleſia celebratur. Aliæ Eccleſię interrogant, quærunt, mirantur, quid tandem illud ſit, quod in confeſsionibus veſtra unica Eccleſia tentarit, quod ex reformatis nulla unquam tentaverat. Liceat mihi verbis

 Apo-

Apoſtoli rogare. An a vobis ſolis verbum Dei proceſsit? An ad vos ſolum pervenit? Provintiæ & nationes, quam Evangelij Doctrinam ſuſceperunt, integram, intactam, ſartam tectam hactenus tuentur, & in poſterum porrò conſervare ſatagunt. Commendat vobis Sereniſsimus Rex fontem reformationis, confeſsionum concordiam. Commendat vobis conſenſum Eccleſiarum. Rogat ut quam a Majoribus Eccleſiam accepiſtis, eandem poſteris tradatis, ut quæ Doctrina in veſtris Eccleſiis ante XX. aut XXX. annos inſonuerit, eam integram conſervetis ne novitatibus quotidie exorientibus locus ſit, ut quos Theſauros a Chriſto accepiſtis, in adventum Chriſti, non adulteratos, non falſatos cuſtodiatis. Credita vobis ſunt Oracula Dei. Fidem veſtram Deo & Chriſto Eccleſiæ Regi, caſtam illibatam conſervate. Cavendum ſerió, ne relicta ſcripturarum ſimplicitate in ſpinoſas argutias abeant Doctores, ne pro cibo ſolido fumum apponant. Illud ſaltem ſedulo diſpiciendum, ut qui in verbi miniſterio verſantur, in concionibus ad populum abſtineant ab altioribus ſpeculationibus quæ ſcholas ipſas exercere ſolent, & in utramque partem diſputari poſſunt, ne fides Eccleſiæ, que certa eſt, in ambiguis & dubiis hærere aut vacillare videatur: neve ædificationis loco in Eccleſia ſcandalum ponatur. Conſenſus veſter in doctrina cum aliis Eccleſiis erit Deo ſacrificium ſuavis odoris, cum multorum populorum unus ſpiritus Deo adhereat. Erit Eccleſiis pergratum, cum videant Eccleſiam veſtram

frater-

fraternitatem in Chriſto colere. Erit denique veſtris Dominationibus per honorificum. Non enim in ſeparatione, in virtutibus ſuis ambulantibus, ſed in communionem ſanctorum coëuntibus, gratiam & gloriam dabit Deus Studia partiũ & factiones ex utraque parte, ex dextra, & ſiniſtra, Eccleſiam vulnerarunt, que tamen vulnera ſanabilia ſperamus futura, ſi recte medicâ manu tractentur. Medicina eſt veſtra authoritate Domini Illuſtriſs^mi^. applicanda, noſtrâ verô opera, ſi quid ad Eccleſiæ pacem adferre poſsit, prompta erit atque expedita, nec ſtudio tantum & laboribus parati ſumus. Sed ſi Deo noſtro, in cujus manu ſumus, viſum fuerir, vel ſanguine noſtro pacem Eccleſiarum procurare, ſed cum Eccleſia quam Redemptor Chriſtus ſuo ſanguine adquiſivit, ad exemplum Domini, ſervorum ſanguinem non in pace, ſed in perſecutione expoſcat. Fit quaſi fato quodam Eccleſię, ut homines fortiores inveniantur, in afflictionibus quam in pace. In perſecutione vitam non amant, pro Chriſto in pace non verentur turbas excitare contra Chriſtum. Quam Difficilis Eccleſiæ conditio, quam dura ſors verſat, vel perſecutionem patitur cum pace Chriſti, & gaudio ſpiritus interno, vel pacem retinet internam cum diſsidiis inteſtinis. Filij Dei ſicut Pueri noſtri ſub virga facilius ad diſciplinam formantur: abjectâ virga ad partes, ad factiones, ad turbas phocliviores ſunt. Sed diligentibus Deum, omnia cedunt in bonum. Non ſolum afflictiones, ſed & diſsidia & contentiones, errores etiam

atque

atque hæreſes in Eccleſiæ ſuæ bonum convertit Deus, qui Omnipotens eſt, ut infideles probentur, probati manifeſtentur, ut qui veritatem amant, diſcant etiam de erroribus ſuis triumphum agere. Atque hanc mentem fratribus noſtris optamus, ut qui pro veritate ſemel traditâ, ſemper decertare parati ſunt, humilitate inter ſe mutuo certent, non de eo ſolliciti, utri vincant, ſed in hoc potius omnes vires adferant, omne ſtudium conferant, & veritati victoriam, Eccleſiæ pacem, Deo gloriam tribuant.

Georgius Landavenſis.

W